

ceremoniae et his similes incommodi habent? Quid denique opus est superstitiosis Papistarum ceremoniis, cum sua superstitione, suisque multis erroribus, quos sibi semper annexos habuerunt, quod culpae et poenae remissionem mererentur, quod placerent Deo et essent cultus, quod perfectiones et meliora opera quam decalogi dicerentur, quod tanquam necessariae ad salutem abseruari deberent, quod ceremoniis Mo-[159:]saicae legis aequales essent, quod denique non obseruantes eas damnarentur? In summa, ceremonias conformes verbo Dei, non pugnantes cum verbo Dei, nec non serui-
entes efficaciae sacramentorum retinendas, impias autem et ineptas omnino
resecandas esse iudicamus. 5 10

Porro missa papistica cum suis ceremoniis (quas orientalis ecclesia nunquam nouit) non est ab ecclesia catholica, sed ab ecclesia papistica instituta, quare missales ceremoniae non sunt coenae Christi assuendae. Deinde necessitas scripturae non debet subjici humanae auctoritati. Quae sunt in scripturis satis
clare proposita, ut usus sacramenti sub utraque specie, et similia, non debent
ad concilii humani celebrationem vel sententiam referri, sed iuxta verbum
Domini, vel toto mundo, nedum concilio, reclamante, usurpari. 15

Finaliter, cum constet ex his, librum Interim pro maiori parte non tantum
obscurum, dubium, intricatum et mira calliditate compilatum esse, sed etiam
in multis locis prorsus impium et christianae doctrinae contrarium; Nos, ut in
principio huius nostri Iudicii protestati sumus, ita hic quoque potius omnino
relinquendum, quam totum acceptandum esse protestamur. Nihil enim aliud
est librum Interim [160:] acceptare, quam totam papatus impietatem prope-
modum in ecclesias, verbo Dei repurgatas, reuocare. 20